



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Avaritiæ proprietates, dicta facta. Ex Veteri, & Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Philosophus quidam dixit, quod non optat majus malum inimico suo, quam avaritiam: quia nec hic habet pacem, nec in futuro meritum. Ib.

Va, qui congregat avaritiam malam domui suae. Abac. 2. 9. Et merito: etenim qui aedificat domum suam impendit alienis, inquit Eccl. 21. 9. quasi qui colligit lapides suos in hyeme. Graece: quasi qui congregat sibi lapides ad tumulum sepulchri sui. Deo quippe ulciscente ejus injustitiam, non multo tempore superstes erit in ea, quam per injuriam aedificat, domo. Diez. Avar.

Revera avaritia in manu suscipientis viscus est, quae, quidquid apponitur, excuti non permittit; sed, more picis, harere compellit. Novarin. Elect. Sacr. 1. 2.

§. II.

Avaritiae proprietates, dicta & facta.

Ex Veteri, & Novo.

Noluitq; confiteri. Gen. 31. 20. Hebr. furivus est Jacob cor Labani. Cor, id est, opes; quae erant quasi cor Labani; quasque ut suum cor amabat, ait Lipomannus. Corn. à Lap. hic.

Et ego vidi somnium, quod tria canistra farina haberem super caput meum. Gen. 40. 16. Cibos fert pistorum magister; nec tamen ipse comedit, nec aliis edendos offert. Divites eguerunt, & esurierunt. Pl. 33. 11. Si divites, quomodo egent? si rebus abundant, quomodo esuriunt? Avaro tam deest, quod non habet, quam quod non habet: fame mavult perire, quam rebus suis aliquid perdi. Lud. Alvarez Joseph illustr. illustrat. 128. Bellaria pistoris comedebant aves Gen. 40. 17. ipse vero non comedit, nec aliis dedit, ut videas, novo crudelitatis genere, divites libentius subvenire animantibus, quam proximis. Luc. 15. 16. prodigus cupiebat implere ventrem suum de siliquis, & nemo illi dabat. Aded forsitan avarus erat Dominus, ut facultatem famulo ad siliquis edendas negaret; magis curans de impinguandis porcis, ut carius venderet, quam de fame hominis, & famuli, sublevanda. Id. ib.

Israëlitae exeuntes de Aegypto secum tulerunt oves, & armenta, animantia diversi generis multa nimis, Ex. 12. 38. quae novis fecibus multiplicata usque ad ingressum terrae promissionis conservarunt, ut conitat Num. 32. 1. & tamen in deserto immoderato appetitu carnes petebant: quis dabit nobis ad vescendum carnes? Num. 11. 4. cur è suis gregibus non mancant? Lyr. propter suam avaritiam parebant suis animalibus. Sylv. in Luc. 12. c. 21.

Da mihi vineam tuam; ut faciam mihi hortum olerum. 3. Reg. 21. 2. Haec erat omnis insania, hic omnis furor; ut spatium vilibus oleribus quaereretur. Non tam ergo cupitis ipsi (alloquitur avaros) quasi utile possidere, sed alios vultis excludere. Major cura vobis est de pauperum spoliis, quam de vestris emolpantib. Sacr. Tom. 1.

lumentis: injuriam vestram putatis, si quid pauper habet, quod dignum possessione divitis aestimetur. S. Ambr. de Nabuthe. c. 3.

Rogabant, ut transiret à fratribus eorum. Matth. 8. 34. Cajet. hic: salutem liberatorum à daemoneis, & perditionem porcorum, videntes; magis timuerunt augmentum damni rerum temporalium, quam concupierint augmentum salutis spiritualis. Sylveira in act. 16. quaest. 9.

Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos - destrua horrea mea, & majora faciam; & ibi congregabo omnia, quae nata sunt mihi, &c. Luc. 12. 19. 18. Sibi soli universa avarus exarbit, qui multos ditare valuerat fructibus. Naxera tr. de B. V. §. 28.

Cur Domini puella, ob daemone expulsum, acriter confurgunt contra Silam, & Paulum. Act. 16. 19. quia magnum quaestum faciebat dominis suis divinando. Theophyl. hic: volebant puellam daemone correptam esse, ut quaestum facerent. Vide illos, nè daemone quidem curantes, sed unum duntaxat pecuniae studium spectantes. Sylv. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Tot sunt artium venae, quot hominum concupiscentiae. Tertull. l. de idololatria.

Possident ad hoc tantum, ne possidere alteri liceat. O nominum quanta diversitas! bona appellat; ex quibus nullus illis, nisi ad res malas, usus est. S. Cypr. ep. 2.

Olim quidam avarus his verbis usus fertur: fortunae guttam malo, quam mentis dolium. S. Gregor. adv. mulier. ambitiosè se ornantes.

Victum publicani non aliunde, quam ex pauperum lacrymis habent. Theophylactus in Luc. 19.

Joannes Climacus gradu 16. vocat Avaritiam millicipitem spiritum.

Tristis es, & rogatu difficilis. Occursus pauperum vitas, nè forte aliquid è manibus coacte exeat.

Unam tantum nostri vocem: non habeo, non dabo: nam & pauper ego quoque sum. Pauper es, profecto, pauper, & omnium egens bonorum: pauper, inquam, charitatis humanitate, fide, spe aeternae. S. Basilus serm. in divitu avar.

Amor divitiarum, oculus est avarorum. Jo. Gerſon. de causis errantium.

Nabuchodonosoris statuam auream soli tres pueri non adorarunt. Dan. 3. 18. Et cur non? Respondet S. Chrysoſt. hom. de trib. pueris: fieri non potuisse, ut illi statuae inesset Deitas.

Nunquid imago tale potuit demonstrare? Ecce Deus in auro non fulget. Difficultatem nobis S. Chrysoſt. in manibus relinquit, cum ait, Deum in auro lucere non posse.

Cur metallum tam praestans esse majestatis divinae symbolum non possit? Respond. aurum est valde illiberale, & avarum; ut omnia sibi velit,

lit, quò locò generatur; ita latè omnia depascitur, & exfugit, ut non arbores, non plantas, ferat terra, quæ aurum producit. Did. Niff. Dem. 1. Quadr. §. 6.

Avara auri, aut dignitatis cupiditas de cognatorum funere gaudet. Naxera in fol. 2.

In usurarii cuiusdam divitis exequiis S. Antoninus concionaturus, thematis locò accepit illud ex Evangelio: *ubi est thesaurus tuus &c.* Sub conciohem autem inter cætera ait: mortuus est hic dives, & sepultus in Inferno. Ite ad thesaurum ejus, & in illius medio invenietis cor ejus, corpore jam humato. Abierunt hominis parentes, & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum invenerunt. Surius 13. Junii c. 28.

Avaus paralyti percussus loquelam amiserat. Religiosi hortabantur ad confessionem, communionem; sed nullum signum impetrarunt: quidam astantem ait: ego citò ab eo habebò signum, & apposuit manum ad eistam, quæ erat ad pedes ejus, pecuniã plenam, quasi volens eam aperire; & statim quasi expergestas, capite erectò, voce, & vultu, triste signum vitæ ostendit. Dum verò de Deo, & animæ salute, esset fermo, quasi mortuus jacebat. Summa prædic. Alius, cum sentiret manum sacerdotis inungentis eum ait: quis tangit bursam meam? cor enim ejus plus erat in bursa, quam circa Sacramenta. Alius cum moneretur recipere viaticum, noluit. Et ecce subito venit ex angulo domus diabolus in forma buffonis, ore denarium portans; ad cujus adventum ager os aperiens, denarium recepit, quò strangulatus. Id.

Ubi sunt, qui argensum &c. ad inferos descenderunt. Baruch. 3. 16. 18. 19.

§. III.

Avaritia vitium forte, & vix curabile.

Ex Veteri.

Tollite in aures. Ex. 32. 2. Furorem ut fallat Aaron, petit aurum. Oleaster: summa prudentia est, difficilia petere, ut sic rerum difficultate retractus ab incepto desistat. Luc. de Velloso in Judith 7. paran. 45.

Prohibuit Josue c. 6. 18. nè quis de præda Jerochintina quidquam contingeret; sed Acham inter præceptum divinum, & opimum spoliū, constitutus, hoc illi anteposuit; *pallium cocineum, argenti scylos, regulam auream furatus.* Jos. 7. 21. S. Ambrosius l. 2. de offic. cap. 26. JEsus Nave, qui potuit solem sistere, nè procederet, avaritiam hominum non potuit sistere, nè serperet. Mendoza in l. 1. Reg. c. 3.

Avaritia in capite omnium. Amos 9. 1. Dicitur esse in capite omnium, quia omnibus dominatur, omnia possidet: omnes enim caput, sensus, curas omnes eò intendunt, ut iniquis lucris se ditent. Sic Thren. 1. 5. dicitur:

facti sunt hostes ejus in capite; id est, hostes dominati sunt Jerosolyma. Avaritia ergo est in capite, non in calce; quia caput, id est, phantasiam, animūque occupat; itaque illi infixæ est, ut vix evelli possit; quia tenet arcem mentis, indeque quasi regina, imò quasi Dea, omnibus cogitationibus, sensibus, potentis, membris, & actibus imperat, tanquam mancipiis. Corn. à Lap. hic.

Ex Novo.

Hec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4. 9. Post hanc tentationem fugatur; quia omnem consummārat tentationem, nullamque telum supererat. Et quando jaculum intorsit libidinis, otii, invidia? Nimirum radix malorum avaritia est; quæ Christus cum vinci non posset, victoriam demon desperavit. Oliva l. 12. Strom. hic. Quasi omnibus vitiis fortiorem, pecuniarum cupiditatem, postremò locò posuit; extremum illud reservans, quasi quod omnibus valentius esse judicavit. Jo. de Pinna in Ecclesiasticum c. 7. Tentavit diabolus Christum in deserto de calamitate, in templo de superbia vanitate, in monte de cupiditate. His tribus tentationibus impugnat adhuc quotidie Fideles, &c. Significatæ autem sunt in leone, urso, & gigante, quos occidit David; sicut legitur 1. Reg. 17. 34. 50. Per leonem superbia; per ursum, qui mel sequitur, concupiscentia; per gigantem, qui quasi insuperabilis videbatur, avaritia significatur: quia avaritia quasi insuperabilis est. S. Bonav. l. 3. D. 1. Quadr.

Tunc videns Judas, quia damnatus esset. Matth. 27. 3. Quanta molitas est Christus, ut avarissimum Judam converteret, lavando pedes, præbendo Eucharistiam, admittendo ad osculum; nec tamen pro voto res accidit. Quanta vis avaritiæ! S. Chrysost. hom. 68. in Matth. in ipso conditionis momento & osculari ab eo se sustinuit; sed nihil hinc consecutus est. Tantis certè, tamque incredibilem avaritiæ furor est; hæc enim illum & proditorem nequissimum, & sacrilegum nefandissimum fecit. Audiatis hæc omnes avari, quique gravissimò Judæ morbò laboratis! quotidie ille cum eo erat, qui *non habebat, ubi caput suum reclinaret;* & quotidie verbis, & operibus, instruebat, ut non argentum non aurum, non duas tunicas habere vellet; & tamen reprimere se non potuit. de Pinna in Ecclesiasticum c. 8. Juxta V. Bedam, & Bonav. Iscariotes interpretatur memoria mortis. Tam ingens fuit ejus avaritia, ut ipsa etiam mortis memoria, proprio nomini infixæ, cohiberi nequiverit. Sylveira in Matth. 10. q. 19.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Latroni primum aditus ad paradysum referatur: Cherubim flammeum gladium primum evadit latro. Nempe, ut vult S. Chrysost. hom. 5. in Luc. ideo latro primus inducitur; ut, quam facile aditus reliquis peccatoribus pateat, noscamus. Si enim latro aliena appetens paradysum intrat;